

JOHANNIS ADAMI OSIANDRI,
GRÆCÆ LINGUÆ PROFESSORIS PUBL. ORDINARII
IN UNIVERSITATE TUBINGENSI,

ORATIONUM ACADEMICARUM BIGA,

QUARUM PRIOR AGIT

DE

MANUSCRIPTO CODICE

CANTABRIGIENSI GRÆCO-

LATINO

THEODORI BEZÆ,

POSTERIOR

DE

EJUSDEM CODICE MA-

NUSCRIPTO GRÆCO-LATINO

CLAROMONTANO.

*Apparatus
bibl: 27.*

V. I

TUBINGÆ,

TYPIS ET IMPENSIS ROEBELIANIS.

A. MDCCXLII.

r. bibl.

0,14

* * *

PRÆFATIUNCULA.

Damus Tibi, *Lector Benevole!* Orationes duas, superioribus septimanis publicè à nobis solenniterque recitatas. Typis eas eapropter quoque excubiri curavimus, quoniam compertum habemus exploratumque, Exteros conatus nostros in hoc studiorum genere factos æqui bonique consuluisse, adeo, ut eorum aliqui sermonem nostrum Inauguralem *de Originibus Variantium Lectionum N. T.* typis excusum, idiomate Germanico expresserint, eundemque * Actis suis publicis literariis, nobis insciis, inferere nulli dubitaverint. Accipe ergo, qui hæc nostra legis, hanc quoque Orationum Academicarum Bigam fronte serena, nobisque Deum propitium precibus ardentissimis exora. Dedimus die Novembris vicesimo octavo, A. MDCCXLII.

* Confer die Gründliche Aufsätze aus denen neuesten Theologischen, Philosophischen und Philologischen Disputationibus, welche auf den Hohen Schulen in Deutschland gehalten worden. Fünfftes Stück. A. 1741. Num. III. p. 437. seqq.

* * *

Oratio



Oratio de Codice Cantabrigiensi Græco-Latino THEODORI BEZÆ, in Senaculo Universitatis die vigesima tertia Septembris, eademque Dominica post SS. Trinitatis festum decima octava A. MDCCXLII. recitata, cum viginti & septem Philosophiæ Candidati Magnifico Domino Cancellario PFAFFIO more consueto præsentibus sisterentur.

P. P.

EXORDIUM.

CUM superiore anno ex solenni hoc loco verba facerem, delegi pro sermonis argumento Græcum Codicem Novi Testamenti Vaticanum, omnium manuscriptorum, quotquot adhuc prostant, longè antiquissimum; cujus instituti eo minus me pœnitet, quoniam interea temporis cognovi atque perspexi, ea, quæ à (1) Nonnemine publicè mihi sunt regeſta, ita comparata esse, ut, vel à principali sermonis objecto prorsus abluant, vel nervum probationis nequaquam intervertant; proinde me ab opinione sine omni partium studio electa abducere hæcenus haud quiverint. Tantum ergò abest, ut, factò hoc dissensu typis excuso, manuscripta Novi Fœderis exemplaria Græca mittens, vadimonium deseram, ut potius hac quoque vice experiri cupiam, quid valeant humeri. Cum verò, uti constat, anno proximè elapso substiterim in Codice Romano, qui purè Græcus est, pedem jam ad novum Codicum manuscriptorum Novi Testamenti genus promovere animo sedet sententia, qui nimirum sunt Græco-Latini; quos inter cum *Codex Cantabrigiensis* THEODORI BEZÆ caput efferat, suisque prærogativis plurimum gaudeat, non indignum eum fore arbitratus sum, de quo in præſenti panegyri verba, faxit Deus opportuna! funderem. Eo autem ordine, quæ dictu necessaria esse videbuntur, edisseram atque exponam, ut *primo loco* sufficienti-

A

ficient-

(1) Vide Celeberrimi Dn. BENGELII Gnomonem Novi Testamenti p. 1207.

ficientem hujus Codicis descriptionem Vobis subministrem; *secundo* cogitata eruditissimorum Virorum de eo recenseam; *tertio* denique iudicium meum, solo veritatis amore ductus, brevibus adjungam. Fave huic instituto, *Reverendissime Domine Cancellarie*, qui in hac studiorum parte immortalem nominis famam dudum es consecutus, qui- que Ipse hunc Codicem olim, cum Cantabrigiæ versareris, Tuis usur- panti oculis, Tuis trivisti manibus; favete eidem cæteri *Domini Audi- tores*, vestramque patientiam mihi, de argumento nec vulgari nec facili dicturo perbenevolè commodate.

T R A C T A T I O.

Cantabrigia musarum Anglicarum celeberrima sedes multis qui- dem Græcis Novi Testamenti Codicibus manuscriptis, quo- rum potiores (2) alibi commemoravimus, instructa est; *Cant- abrigiensis* tamen THEODORI BEZÆ *Codex*, de quo agimus, & qui præ cæteris hac denominatione inclaruit dudum, & in poste- rum etiam nunquam non inclarescet, eâ de causâ nomen hoc nactus esse videtur, quia eum laudatus modo BEZA, Theologus inter Re- formatos haud postremus, Academia Cantabrigiensi ex singulari libe- ralitate dono dedit; quem, si à peculiari hac circumstantia animum abstraxeris, *Gallicanum* potius vocaveris *Codicem*, quam *Anglicanum*. Dignus est, qui audiatur ipse BEZA, *cujus* hæc est *epistola* ad inclytam Academiam Cantabrigiensem data, qua eidem hunc codicem offert, quæque cum ipso libro, uti fidem fecerunt JACOBUS LE (3) LONG, (4) PAULUS COLOMESIUS & HENRICUS LUDOLFUS (5) BENT- HEMIUS, in Bibliotheca Sanctæ Trinitatis asservatur: “Inclytæ mo- disque omnibus celebratissimæ Academia Cantabrigiensi, gratiam & pacem à Deo Patre ac Domino nostro Jesu Christo. Quatuor Evan- geliorum & Actorum Apostolicorum Græco-Latinum exemplar ex S. Irenæi Cœnobio Lugdunensi ante aliquot annos nactus, mutilum qui- dem illud & neque satis emendate ab initio ubique descriptum; neque ita, ut oportuit, habitum, sicut ex paginis quibusdam diverso cha- ractere

(2) In Orationum Academicarum Triga p. 38.

(3) Bibliothecæ Sacræ T. I. fol. 173. Editionis Parisiensis.

(4) Epistolarum selectarum p. 259.

(5) *Evolve ejus Englischen Kirchen- und Schulen-Staat*, Editionis Menzerianæ de anno 1732. p. 505. sq.

raetere infertis & indocti cujuspiam Græci Calogeri barbaris adscriptis alicubi notis apparet, vestræ potissimum Academiæ, ut inter verè Christianas vetustissimæ, plurimisque nominibus celeberrimæ dicandum existimavi, Reverendi Domini & Patres, in cujus Sacrario tantum hoc venerandæ, nisi fortè fallor, vetustatis monumentum collocetur. Etsi vero nulli melius quam vos ipsi, quæ sit huic exemplari fides habenda, æstimarent, hac de re tamen vos admonendos duxi, tantam à me in Lucæ præsertim Evangelio repertam esse inter hunc codicem & cæteros quantumvis veteres discrepantiam, ut vitandæ quorundam offensionis asservandum potius quam publicandum existimem. In hac tamen non sententiarum sed vocum diversitate nihil profecto comperi, unde suspicari potuerim à veteribus illis hæreticis fuisse depravatum. Imo multa mihi videor deprehendisse magnâ observatione digna; quædam etiam sic à recepta scriptura discrepantia, ut tamen cum veterum quorundam & Græcorum & Latinorum Patrum scriptis consentiant: non pauca denique, quibus vetusta Latina editio corroboratur: quæ omnia, pro ingenii mei modulo inter se comparata, & cum Syra & Arabica editione collata, in majores meas Annotationes à me nuper emendatas & brevi, Deo favente, prodituras congessi. Sed age, res hæc tota vestri, sicuti porro est, judicii esto. Tantum à vobis peto, Reverendi Domini & Patres, ut hoc qualecunque summæ in vestram amplitudinem observantiæ meæ veluti monumentum ab homine vestrum studiosissimo profectum æqui bonique consulatis. Dominus JESUS, Servator noster & universè vobis omnibus, & privatim singulis, totique adeo christianissimæ Anglorum genti magis ac magis pro bonitate singulari sua benedicat. Genevæ VIII. Id. Decembr. A. D. MD. LXXXI. Theodorus Beza.,

Multa sic recensui, *Auditores!* quæ ad cognitionem nostri Codicis facere possint. Principio namque intelligitis, Codicem Cantabrigiensem absolutè ita dictum quatuor Evangelia cum Actibus Apostolorum exhibere, hisque novi fœderis monumentis absolvi totum. Cognoscitis porro, exemplar nostrum esse Græco-Latinum, cum cura distinguendum ab illis codicibus, qui solum fontem exhibent. Perspiciatis ulterius, qui historiam illius temporis habetis exploratam, BEZAM hunc Codicem sub initium belli civilis (6) apud Gallos anno post natum Servatorem millesimo, quingentesimo, sexagesimo secundo

A 2

Lug-

(6) Adde MILLII Prolegomena in N. T. fol. 132. §. 1268.

Lugduni in monasterio S. Irenæi invenisse, sicque ab oblivione hominum liberasse, postquam per satis longum tempus ibi jacuisset, eundemque non sine fructu multiplici ad secundam editionem Annotationum suarum in N. T. adhibuisse. Nostis præterea, Codicem Cantabrigiensem non esse integrum, quod cum præstantissimis exemplaribus manuscriptis fatum commune habet, licet non demum sub initium capitis vicesimi quinti in Matthæo legendum se exhibeat, uti erravit CURCELLÆUS, in præfatione ad suam N. T. editionem narrans, ab amico sibi Lutetia missas esse lectiones hujus scripti, sed quod viginti quatuor capitibus in Matthæo truncatum esset; depe- xus eapropter à (7) MASTRICHIO, (8) RUMPÆO, haud malè observantibus, CURCELLÆUM cum Cantabrigiensi Codice confudisse Codicem Alexandrinum, utpote in quo (9) ista viginti quatuor capita Matthæi desunt, cum initio capitis vicesimi quinti, usque ad versus sexti verba: ἐξέρχεται εἰς ἀπαντησὶν αὐτῶν. Compertum denique habetis & exploratum, Cantabrigiensem BEZÆ Codicem ab aliis exemplari- bus mirum quantum differre, atque ita principem ferè inter lectiones N. T. variantes locum sibi vindicare. At plura restant post ipsum BEZAM, partim exponenda dilucidius, partim de novo subjungenda diligentius. Exemplar nostrum *membranaceum*, in formâ quarta gran- diori, *lacerum*, & sexaginta ac sex foliis mutilatum, ut cum (10) MIL- LIO loquar, “descriptum quidem est *litteris grandiusculis, sive uncialibus*, absque omni verborum distinctione, lineis non in unam eandemque longitudinem exporrectis, sed omninè inæqualibus, longioribus ali- is, aliis brevioribus, velut ἐν εἰδει σιχηρῶν, in quibus sedulo à descri- ptore cautum est, ut Græca & Latina sibi invicem responderent, ver- bum ferè verbo, servato plerumque etiam eodem ipso verborum or- dine. Græca sinistram paginam occupant, dextram Latina. Periere duo prima folia: ad tertium, sive paginam quintam incipit Latina Versio, Matth. I. 12. post transmigrationem autem Babylonis &c. ad paginam sextam, textus Græcus c. I. 20. παραλαβὴν Μαρίας κ. κ. λ. In Evangeliiis Matthæum proximè sequitur Joannes, idque consilio ipsius Digestoris. Ad calcem enim Matthæi hæc habet: Εὐαγγέλιον κατὰ Ματθαῖον ἐτελεσθη, ἀρχεται εὐαγγέλιον κατὰ Ἰωάννην. Joannem sequitur Lucas,

(7) In Prolegom. ad N. T. Græcum p. 33.

(8) Vide Commentationem criticam ad Libros N. T. in genere p. 267.

(9) Adde, si placet, Orationum nostrarum Academicarum Trigam p. 19.

(10) l. c. & §§. 1269. 1270. 1271.

Lucas, Lucam Marcus cum eadem *επιγραφη*, ita nempe dispositis libris istis, ut Apostolorum Evangelia præponerentur Evangeliiis Apostolicorum, quomodo Marcum & Lucam, Apostolorum comites vocat Tertullianus. Marci Evangelio suffixa est notula, significans post illud proximè poni Librum Actuum., Pergit post aliqua interjecta MILLIUS: "Codici ipsi ad oram (ne quid intactum prætereamus) adscripta sunt varia. Sectiones Ammonianæ, caractere Codicis ipsum probè simulante, sed pleniori nonnihil, ac nigriori. Solæ hic incedunt & absque comitatu Canonis Eusebiani, quo ad quam quæque tabulam spectat, ostenderetur. Sparsæ hic inde voculæ *αρχη*, *τελος*, *και λογε*, *ωδε σηκε*, initium & finem lectionum Ecclesiasticarum denotantes, ut & lectionum quarundam tituli, foeda ac barbara manu exarati. Capita quædam rerum in Evangeliiis tractatarum horrido caractere exarata, aliquando in margine, sæpius autem in summa pagina. Notulæ autem hæ, reliquæque jam dictæ, non unius alicujus descriptoris erant, imò nec unius seculi: aliquæ pervetustæ sunt, aliæ posterioris paulo ævi, aliæ inferioris multo adhuc ætatis, aliæ tantum non hodiernæ, seu etiam planè recentes., Vultis plura, *Auditores!* componite animum ad *librarium* Codicis Cantabrigiensis, qui tantum non unanimi Criticorum consensu *Latinus* fuit. Adstruxit veritatem hanc historicam præ cæteris (11) RICHARDUS SIMONIUS ex similitudine characterum textus utriusque; ex literis purè græcis in oppositam versionem admissis; ex ipso instituto Codicum hujusmodi Græco-Latinorum; qui certè Græcis usui esse non poterant, (quid enim ipsis cum *Versione*, seu etiam lingua Latinorum?) sed in Occidentalium omninò gratiam confecti videntur; ut scilicet textu Græco è regione Latini posito, haberent jam, quibus facultatis aliquid in Græcis, unde & sacrum Codicem melius intelligere eis liceret, & Latina sua, sicubi opus esset, emendare; denique ex mendis ipsius Exemplaris *γραφικαις*, quorum aliqua, ut nomen *λεπρωσ*, verbum *φλαγγελλωσας* satis clarè amanuensem Latinum produnt. Vultis *mundi partem*, qua exaratus est Codex noster, nullus asserere dubito, in Occidente eum conscriptum esse, quod ex characteribus cum laudato SIMONIO colligere datur, quippe qui multo (12) pinguiore & rotundiores illis sunt, quos in Oriente pingere solebant librarii. Vultis

A 3

Versio-

(11) *Historia Critica Textus N. T. c. XXX.*

(12) Confer Magnifici Dn. Cancellarii PFAFFII *Syntagma Dissertationum Theologicarum p. 76.*

Versionem Latinam in Codice Cantabrigiensi obviam, Vulgatâ ea est, quæ ante Hieronymum Latinis in usu fuit, prout præ cæteris rei hujus fidem fecerunt GERHARDUS (13) à MASTRICHT & (14) J. A. FABRICIUS. Vultis *annum*, quo eum Beza Academia Cantabrigiensi dono dedit, sciatis velim, id contigisse anno post Salvatoris partum millesimo quingentesimo octuagesimo primo; facit verò à Criticis discessum circa hoc punctum chronologicum Vir sempiterna memoria dignissimus, ANDREAS ADAMUS HOCHSTETTERUS nostrâs, ipse quondam Cantabrigiæ degens, donum hocce literarium ad annum octuagesimum septimum (15) referens, sicque integro sexennio à recepta traditione differens. Vultis ad extremum Codicis nostri *Lectiones variantes* à PATRICIO (16) JUNIO collectas, ab USSERIO cum primis usitatas, cum WALTONO, ut Bibliorum πολυγλωττων tomum sextum amplificarent, communicatas, hem! quanta dicendorum obruor multitudine. Modi variarum lectionum, uti à (17) GLASSIO sum edoctus, quatuor sunt: *additio* puta, *omissio*, *mutatio*, *transpositio*; singulis hisce Codex Cantabrigiensis sic abundat, ut hebdomas potius, quam dies in illis recensendis me deficeret. Liceat tamen ex tanta rerum copia, ne hiatu laboret sermo, unum alterumve in medium adferre documentum. Insigne (18) *additamentum* est, quod Matthæi vicesimo capite, commate vicesimo octavo post verba: και δειναι την ψυχην αυτην λυτρον αντι πολλων in Cantabrigiensi exemplari manuscripto legitur: υμεις δε ζητετε εκ μικρα αυξησαι, και εκ μειζονος ελαττων ειναι. Εισερχομενοι δε και παρακληθεντες δειωνησαι, μη ανακλινασθε εις τας εξεχοντας τοπας, μηποτε ενδοξοτερος σε επελθη, και προσελθων ο δειωνοκλητωρ ειπη σοι, ετι κατω χωρει, και καταιχυνθηση. Εαν δε αναπεσης εις τον ηττονα τοπον, και επελθη σε ηττων, ερει σοι ο θειπνοκλητωρ. Συναγε ετι ανω, και εσαι σοι τστο χρησιμον. Latina hæc sunt: *Vos autem quæritis de minimo crescere, & de magno minui. Introëuntes autem & rogati cænare, ne discubueritis in eminentibus locis, ne fortè dignior te superveniat, & accedens cænæ invitator dicat tibi, adhuc deorsum accede, & confundavis. Si autem discubueris in minimum locum, & superveniat minor te, dicet tibi invitator cænæ: Colli-*

(13) l. c. p. 33.

(14) Bibliothecæ Græcæ L. IV. p. 180.

(15) In Oratione doctissima de utilitate peregrinationis Anglicanæ p. 22.

(16) Addi meretur MILLIUS l. c. fol. 132.

(17) Philol. S. L. I. tract. II. p. 177. seqq.

(18) Velim heic conferas Hammondum in N. T. cum animadversionibus Jo. Clerici T. I. fol. 88. & Dn. BENGELII N. T. Græcum majus p. 483. sq.

ge adhuc superius; & erit tibi hoc utile. (19) Notabilem verò omissionem (20) nuncupaveris, quando Codex noster non saltim Joh. XII. integrum octavum comma: Της πτωχῆς γὰρ πάντοτε ἔχετε μεθ' ἑαυτῶν, εμε δε & πάντοτε ἔχετε, sed & ex capite sequenti decimo quinto, comma tertium totum, & commatis quarti partem dimidiam: ἡδὴ υμεῖς καθαρὸι ἐσε δια τὸν λόγον οὐ λελαλήκατε υμῖν. Μείνατε ἐν ἐμοί, καὶ ἐγὼ ἐν ὑμῖν· καθὼς τὸ κλημα & δυναταὶ καρπῶν φέρειν sicco pede præterit. Idem porrò Codex Marci I. 2. voces ἐν τοῖς προφήταις mutat, & earum loco ponit: ἐν Ἡσαϊα τῷ προφήτῃ, veluti & Marci XVI. 1. mutationi sic indulget, ut pro vocibus: διαγενομένων τῶν σαββάτων, Μαριὰν ἢ Μαγδαληνῆ καὶ Μαριὰν ἢ τῶν Ἰακώβου καὶ Σαλωμῆ ἠγορασάντων has substituatur: καὶ πορευθεῖσαι ἠγορασάντων. Tandem autem librarius nostri Codicis commata etiam integra (21) transponit, quando Marci I. commatibus septimo & octavo ita scripsit: Καὶ ελεγεὺς αὐτοῖς· Ἐγὼ μὲν ὑμᾶς βαπτίζω ἐν ὕδατι· ἐρχεται δὲ ὀπίσω μὲς ὁ ἰσχυρότερος μου, & ἐκ ἐμοὶ ἰκανὸς λύσει τὸν ἱμάντα τῶν υποδημάτων αὐτοῦ. Καὶ αὐτὸς βαπτίζει ὑμᾶς. Pariter, quando Lucae V. versiculum decimum lectori hunc in modum sistit: Ἦσαν δὲ κοινῶνοι αὐτοῦ Ἰακώβου καὶ Ἰωάννης, καὶ Ζεβεδαίου. Ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς· Δεῦτε καὶ μὴ γίνεσθε ἀλλοτρίων· ποιήσω γὰρ ὑμᾶς ἀλλοτρίους ἀνθρώπων. Ut non commemorem, manuscriptum nostrum exemplar Lucae XXIII. versum decimum sextum postponere versui decimo nono. Hæc & innumera alia Viris Criticis amplissimam subministrant occasionem, de constitutione Codicis Cantabrigiensis cogitata sua cum orbe literario communicandi, eundemque pro sua cognitione & convictione vel vituperandi vel laudandi. Unde ad secundum sermonis mei membrum citatis gressibus pergo, in eoque varia doctissimorum Virorum de hoc Codice judicium lata sine ambagibus enarrare gestio. Hæc, uti dixi, judicium, vel Codicem Cantabrigiensem cul-

pant,

(19) Spectat huc Joh. VI. 56. ubi post vocem αὐτῶ Cantabrigiensis ulterius legit: καθὼς ἐν ἐμοί ὁ πατήρ, καὶ ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ. Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, εἰ μὴ λαβήτε τὸ σῶμα τῶν υἱῶν τῶν ἀνθρώπων ὡς τὸν ἄρτον τῆς ζωῆς, ἐκ ἔχετε ζωὴν ἐν αὐτῷ.

(20) Huc retuleris Marci XIII. 14. quo loco Codex noster verba præterit: τὸ ρηθὲν ὑπὸ Δαυὶδ τῷ προφήτῃ. Imo integrum comma quartum, Johannis quinto capite occurrens idem omittit. Plura specimina dari possent, si prolixitati concederetur locus.

(21) Ita Marci X. versus 24. & 25. in Cantabrigiensi Codice transpositi leguntur. Lucae VI. comma quintum is ponit post versum decimum, quod in hoc Evangelio aliquoties contigisse novimus.

pant, & tantum non Vulcano tradendum esse contendunt, vel debitas laudes ipsi scribunt, ejusque utilitatem in locis cum primis difficilioribus, prout par est, deprædicant. Prodeant statim censores, quos Cantabrigiensis Codex expertus est, fatis acres, qui nihil non protulerunt, quod ad evertendam ejus fidem plurimum conferre possit. *Ex Anglis* liceat commemorare (22) MILLIUM, apud quem ita lego: "Græca quod attinet, vix dici potest, quam supra omnem modum in iis digerendis licenter se gesserit, ac plane lascivierit Interpolator, quisquis ille. In animo ipsi fuisse prima fronte credideris, non quidem textum ipsum exhibere, quem ediderant ipsi Evangelistæ, sed observato duntaxat Sacri Textus ordine & historia, singula Evangelia absolutiora ac pleniora reddere. Huc enim faciunt intrōmissæ in cujusque Evangelii textum particulæ variæ, integræque periodi reliquorum: huc transposita in unoquoque plurima, ob historiæ claritatem: huc traductæ ex Evangeliiis & Apocryphis περικοπαι: huc interpolationes aliæ innumeræ. Verum & in aliam planè sententiam pertrahunt nonnulla: vocabula pro genuinis alia, neutiquam σημαντικώτερα, adeoque ad historiæ claritatem ac ubertatem nihil conferentia: mutationes numerorum, casuum, generum, temporum passim factæ absque omni causâ: transpositiones infinitæ, quarum nulla idonea ratio vel fingi poterit: contracta denique plurima, & excisæ hic inde partes, & quidem totæ sententiæ, quæ mirificè ad historiæ Evangelicæ integritatem faciunt. Neutiquam enim hujusmodi prætermiserit, cui constitutum fuerit ex unoquoque Evangeliorum conficere integram historiæ Evangelicam, & quasi Diatessaron. Imo verò certum illud unum, Digestorem hujus textus, in hisce libris Evangeliorum & Actuum grassatum fuisse pro arbitrio; addidisse, sustulisse, mutasse, planè uti ferebat animus; multoque, ut verbo dicam, labore illud egisse, ut textus ipsorum Evangelistarum, magna sui parte, in alium quendam transformatus incederet., *Ex Belgis* prodeat JO. (23) CLERICUS, in doctrina de legibus emendandi inter alia graviter pronuncians: "Suspectos esse oportet Codices, qui nimium à cæteris omnibus recedunt, præsertim in locis, quibus est aliqua difficultas. Exempli causa, Codex ille Græco-Latinus Novi Testamenti, qui Theodori Bezæ fuit, aliique similes, qui in Bibliothecis visuntur, licet antiquissimi, suspecti sint necesse est; quia sunt in illis clara audaciorum mutationum vestigia. Genealogiam Christi, ut unum hoc exem-

(22) l. c. §. 1274.

(23) Arte Critica P. III. S. I. C. XVII. p. 291.

exemplum adferam, quæ est Matthæi capite primo, totam refinxerunt ii, à quibus primum scripti sunt, ex Luca, contra reliquos omnes Codices, & Interpretes, qui eam apud Matthæum habent, qualem nos hodie. Nemo dubitare queat, quin imperiti & audaces homines Matthæum corruerint, ut eum in concordiam cum Luca redigerent; cum nulla fuerit aliis ratio aliam fingendi genealogiam apud Matthæum ab ea, quæ erat apud Lucam., *Ex Gallis* ARNALDUM (24) si dixerò, sapientiores ultro intelligent, me Virum nominasse, qui multis ingenii sui nervis auctoritatem Codicis Cantabrigiæ labefactare studuit. Quid enim favoris, ut uno verbo rem dicam, pro Codice Cantabrigiensi ab eo expectaveris, qui vociferatur, exemplar Bezæ fuisse falsarii seculi sexti vel septimi, quod Arnaldum fecisse constat. Taceo RICHARDUM SIMONIUM, (25) cui numerus mendorum in nostro exemplari obviis perquam molestus est, à possessore ejus Theodoro Beza eo magis dissentiens, quod non saltim errores intelligit orthographicos, quales & inveniuntur in libris à Græcis descriptis, sed eos etiam, qui deprehenduntur in vocabulis, qui non possunt cadere nisi in Latinos. Non aegrè fero, *Auditores!* si quis ex vobis electionem hujus thematis à me factam aliquandiu jam miretur, atque secum ita ratiocinetur: Quid opus est, sermonem serere de Codice Cantabrigiensi, qui adeo (26) corruptus existit, & in orbe literato tot tamque graves subiit censuras? Nonne graviora & præstantiora dicendi suppetunt argumenta, tanta panegyri digniora? At veluti Logicus præcipit de morbis intellectus, & Ethicus de vitiis voluntatis; ita Philologus non de Codicibus bonæ duntaxat notæ est sollicitus, sed & eorum cognitionem subministrare debet, qui deterioris sunt conditionis, ut caute in iis versentur lectores, & paleas à tritico probe distinguere discant. Accedit, quod hæc observatio ex parte saltim Codicem nostrum pungat, quippe qui ex altero consideratus latere inter præstantissima N. T. manuscripta referri, adeoque in plenioram nostram venire meretur notitiam. Dabo pace vestra illustrissimum hujusce rei specimen, quod omni exceptione majus esse, sine ulla formidine oppositi pronuncio. Nostis, Lucæ tertio capite, commate tricesimo sexto, Cainanem dici filium

B

Arphach-

(24) Prostat ejus dissertatio de tribus Manuscriptis Bezæ, heic omnino conferenda.

(25) Confer ejus Bibliothecam Criticam T. I. C. XVIII.

(26) Inter eos, qui sinistrè de Cantabrigiensi Codice judicant, ex nostris referendi sunt DEYLINGIUS Obs. S. P. II, p. 340. Dn. BENGELIUS in Apparatu Critico p. 386.

Arphachfadi & genuisse Salam. Cainanem hunc omittit Moses, divinus Scriptor Gen. XI. commate duodecimo, quo Arphachfadi familiam dedit; omittit eum author libri primi Paralipomenorum capite primo, commate decimo octavo, quo ejus injicienda fuisset mentio; omittunt eum paraphrasæ chaldaicæ; omittit genuina versio septuagintaviralis; omittunt Philo, Josephus, Irenæus, Hieronymus, Origenes, Epiphanius, multique alii. At Lucas eum ponit, si plurimis Codicibus tam manuscriptis, quam typis impressis fidem habeas. Jam quomodo conciliatur Lucas *ἑβδομήκοντος* cum Mose *ἑβδομήκοντα*, & Moses cum Luca? Sudant interpretes, torquent se Viri summi, volunt hanc difficultatem tollere, sed non possunt. Quidam dicunt, (27) Evangelistam generationem hanc ex septuagintavirali editione adjecisse: cur autem id egerit, satius esse, reverenter admirari, quam anxie disquirere, exemplo BEDÆ, scribentis in hunc modum: "Maximè miror, & propter ingenii tarditatem vehementissimo stupore perculsus, nescio perscrutari, quâ ratione, cum in hebraica veritate à diluvio usque ad Abraham decem generationes inveniantur, ipse Lucas, qui Spiritu Sancto calamum regente nullatenus falsum scribere potuit, undecim generationes juxta septuaginta interpretes, adjecto Cainan, in Evangelio ponere maluerit.," Alii cum TORNIELLO neque in Luca, neque in Mose quicquam à veritate alienum agnoscunt, sed potuisse fieri dicunt, ut generationem Cainanis, quam Lucas posuit, Moses ob occultam nobis rationem prætermiserit. Alii textum hebraicum propter omissionem Cainanis corruptionis accusant, incidentes in Scyllam evitaturi Charybdin, quod contigit JO. (28) MORINO, LUDOV. (29) CAPELLO, ISAACO (30) VOSSIO, patronis Versionis septuaginta viralis, aliis etiam ejusdem Versionis fautoribus, non à Mose, sed in Evangelio Lucæ errorem commissum esse, diverso scopo statuentibus, non vel ex Lucæ *ἀμαρτημάτων μνημοσυτικά*, vel librariorum incuria, sed ex eo, quod Evangelista sicut alibi, ita etiam hoc loco secutus sit versionem septuaginta viralem suis temporibus

(27) Vide GLASSII Philol. S. L. I. Tract. II. p. 230. seq.

(28) In Exercitationibus Biblicis, quæ Parisiis in folio prodierunt. Taceo ejusdem Opuscula Samaritana, Exercitationes ecclesiasticas ad Pentateuchum Samaritanum, nec non Prolegomena ad Versionem Septuaginta Interpretum.

(29) Vide ejus Criticam sacram.

(30) Vide hujus librum de Oraculis Sybillinis, ut & Dissertationes de LXX. Interpretibus, eorumque Chronologia.

poribus toto orbe receptissimam, qui elabendi modus (31) MILLIO cum primis placuit. Alii cum SAMUELE (32) PETITO rem sic dirimere conantur, ut Sala & Cainan una persona esse statuatur, adeoque textus Lucae sine interposita deductione incisi seu commatis legendus esse perhibeatur. Alii cum (33) FRANCISCO GOMARO hariolantur, Arphachadum fuisse Avum Salæ, & solum à Mose nominatum, præterito patre Cainane, ex quo immediate genitus sit Sala; à Luca vero simul additum patrem Cainanem, uberioris explanationis causa, qui id edoctus fuerit ex inspiratione divina. Alii alia urgent, & nodos nectunt, non solvunt. Quid jam consilii in hac difficultate genealogica? An confugiendum est ad ερωχην cum LEONE (34) ALLATIO? An dubia (35) dubiis sunt augenda, quod in allatis interpretationibus factum esse cum fiducia affirmo? Absit, ut eo delabamur! Absit, ut causam optimam defendamus pessime! Rem omnem infinitis ferè disputationibus agitatum decidit unicus Codex Cantabrigiensis, qui nomen Cainanis apud Lucam omisit, & judiciosissimè quidem atque verissimè omisit, eo quod ista præteritio Codici Hebraico ex asse satisfaceret, cum genuina versione septuagintavirali conveniret, utriusque Chaldæi interpretis Onkelosii & Jonathanis assensum haberet, Chronologiam sacram firmaret, ad errores alios in septuagintavirali versione detegendos viam panderet, & ab Evangelista Θεοπνευστω omnem culpam removeret; quare ob hanc ακριβειαν, Tu Ipse, *Vir Reverendissime*, Codici nostro insignem (36) laudem ante complures annos scribere haud dubitasti; idem Tecum sentientibus (37) CARPZOVIO, (38) BAJERO, (39) RUMPÆO, (40) CALOVIO, (41) CHLADENIO, (42) KROMAYERO, (43) CORNELIO à LAPIDE, agmen claudente Beato Avo meo paterno, JO. ADAMO (44) OSIANDRO, qui optimè fieri ait, si dicatur, Cainanem in Luca esse supposititium sive irreptitium, à correctore vel corruptore intrusum.

B 2

trusum.

(31) In N. T. ad h. l. fol. 133.

(32) Var. Lect. L. IV. C. VI.

(33) Operum Theol. T. II. f. 243.

(34) Videatur ejus EUSTATHIUS ANTIOCHENUS in hexaëmeron p. 244.

(35) Plura suppeditabit CALOVIVS in Critico Sacro, & præter hunc SPANHEMIUS Dubiorum Evangelicorum P. I.

(36) l. c. p. 75.

(37) Introd. ad Libros Canonicos V. T. P. I. p. 71.

(38) Diss. de variantium Lectionum Scripturæ N. T. usu & abusu p. 30.

(39) l. c. p. 268.

(40) Bibl. Illustr. ad h. l.

(41) Institut. Exeg. p. 175.

(42) Vide ejus Scrutinium Religionum.

(43) Comment. ad h. l.

(44) Colleg. System. Appendice p. 88. adde ejus Comment. in Genesin f. 259.

trusum. Sed aurem vellicat tempus, quod labitur, quare vel tribus *ad tertium sermonis mei membrum* propero, *judicium meum* qualecunque de Codice Cantabrigiensi indicaturus. Quod ejus antiquitatem concernit, de eâ verba facere velle, supervacaneum ferè duco, partim, quod hoc exemplar accentibus caret & spiritibus, sicut ab **USSERIO**, **LE LONG** aliisque edoctus sum; partim quod & illi, qui odiosissime de eo judicant, vetustatem ejus largiuntur, & ab hac demum ad ejus excellentiam sequelam fieri debere negant. Ante mille circiter annos scriptum esse codicem, consentire ferè Criticos, perhibet (45) **PRITIUS**; vetustiore eum facit *Author* (46) *Anglicus* animadversionum in scientias, in quibus de earum vanitate & incertitudine disseritur, inquit: "Gothicis literis & Gothorum tempore exaratus est Codex Cantabrigiensis, cujus Versionis Latinæ pars ex antiqua Vulgata Latina, pars ex recentiore, utraque in Ecclesiis Gothicis usurpata, præsertim in Hispanicis regionibus, duobus vel tribus post S. Hieronymum seculis conflata fuit.,, Quicquid verò horum sit, nec seculum, multo minus annus, quo exaratus est Codex noster determinari potest, neque etiam opus est. Si enim (47) anni simpliciter numerandi, is, qui hodiè superest Codex omnium antiquissimus, eo temporis articulo, quo olim erat omnium recentissimus, nulli non postponendus fuit: num igitur situs eum postea meliorem fecit? si anni simpliciter numerandi, quid Codici, qui hodiè habetur cæteris antiquior & melior, cras futurum esset, si alius reperiretur antiquior, ab illo multum diversus? manum Apostolorum, interjectis multis brevibusque librariorum successionebus valdè mutatam referre potuit Codex hodiè duodecim secula habens: eandem manum Apostolorum, interjectis paucis tardisque librariorum successionebus, accuratè referre potest exemplar hodiè excusum, adeoque etiam hodiè descriptum. Pergo ad librarium nostri Codicis, quem Latinum, non Græcum fuisse ea mihi persuadent, quæ ex **RICHARDO SIMONIO** & aliis supra jam attuli. Cum enim, teste **MILLIO**, "linguæ Græcæ studium florere inciperet extra Græciam, eruditis è re visum est, originarium textum & versionem sub oculum simul exhibere; idque vel in eadem pagina, quod in nonnullis libris factum videmus; vel in diversis, ut in aliis aliquibus ac speciatim nostro

(45) *Introd. in Lectionem N. T.* p. 385.(46) *Prodierunt illæ Londini A.* 1708.(47) *Vide Dn. BENGELII Apparatum Criticum* p. 431.

nostro hoc Cantabrigiensi.,, Nolim ergo, ut quis Calogerum, cujus BEZA in sua epistola meminit, confundat cum librario nostri Codicis, cum ex historia Ecclesiæ Græcæ constet, Calogeros fuisse Monachos Ascetas, qui præ omnibus aliis fidei suæ sociis aspero vivendi genere utebantur, atque iudicio (48) GOARI ipsi vitæ renunciaſſe videbantur. Legi (49) regulas eorum monasticas, quæ numero sunt decem, quas si observarunt exactè, sanctitate omninò reliquis in tota Græcia antecellere putandi sunt. Tertia quidem præscripta illis lex agit de meditatione biblica, quæ hæc est: Μεγιστη οδος προς την τε καθηκοντος ευρεσιν και η μελετη των θεοπνευστων γραφων. Εν ταυταις γαρ και αι των πραξεων υποθηκαι ευρισκονται, και οι βιοι των μακαριων ανδρων αναγραπτοι παραδεδομενοι, οιον εικονες τινες εμψυχοι της καλα θεου πολιτειας, τω μιμηματι των αγαθων εργαων προκεινται. Quod vero vel vola, vel vestigium in hisce verbis deprehendatur de officio Calogeorum critico, quo vel in dictandis vel scribendis Codicibus defungi, atque adeo librarios agere debuerint, id quidem nullis inde extorquere queo fideiculis. Ipsum denique eundemque internum Codicis nostri valorem quod concernit, diffiteri non possum, nimium laudis illi tribuisse BEZAM, qua in re quamplurimas in medium proferre quirem lectiones, quæ mihi extra partium studium constituto vehementer displicuerunt in Codice Cantabrigiensi. Liceat unius saltem meminisse vel alterius. Matthæus divinus Scriptor C. XIV. v. 3. memorat, Johannem fuisse conjectum in carcerem δια Ηρωδιαδα την γυναικα και Φιλιππου Ιδ αδελφου αυτου. Cantabrigiensis Codex pessimè omittit nomen Φιλιππου, quod tamen in loco parallelo posuerat, atque ita difficilem (50) de familia & genealogia Herodiadum doctrinam difficiliorē reddit. Marcus Evangelista capite secundo, commate vicesimo quinto & sexto, ex ore Servatoris factum Davidis refert, qui in casu necessitatis panes propositionis ad sedandam famem à Sacerdote petiit, inter alia inquires: Πως εισηλθεν εις τον οικον της θειας επι Αβιαθαρ της αρχιερευς. Voces has posteriores επι Αβιαθαρ της αρχιερευς librarius noster omittit, sine dubio, quia novit ex I Sam. XXI. 1. historiam hanc con-

B 3

tigisse

(48) Conf. Observations ad missam S. Joh. Chrysostomi.

(49) Dedit illas regulas ex nostris B. D. SONNTAG, antiquitatum Græcarum peritissimus Vir, in diss. de Regulis Calogeorum Basilianorum, quam Affinis noster, Ecclesiæ Rühlingshufanæ hodie Pastor, Dn. JO. MICHAEL SPOELINUS A. 1702. sub ejus præsidio defendit p. 14-32.

(50) Adde DEYLINGII Obi. S. P. II. p. 323, seqq.

tigisse sub Achimelecho, qui pater fuit Abjatharis. At nihilominus voces substratas malè omisit, nosse enim poterat & debebat, Achimelechum patrem fuisse binominem, qui & Abjathar dictus sit, idem etiam *αρχιερευς*, qui proinde ex mente (51) GLASSII, (52) DRUSII, (53) GOMARI, (54) PISCATORIS & B. (55) HILLERI à Salvatore & Marco rectissimè allegatus est. Idem Marcus C. VIII. v. 22. recenset, Salvatorem Bethsaidæ cæco restituisse visum; quo in recensu Codex Cantabrigiensis denuo fallit, pro *εις Βηθσαιδαν* legens *εις Βηθανιαν*. Namque uti post RELANDUM ostendit (56) WOLFIUS, antecedentia & consequentia docent, Christum cæcum hunc sanasse in Galilæa, non prope Hierosolymas, ubi sita erat Bethania. Turpior lacuna (57) est, quando Lucae XXII. v. 19. & 20. sequentia prætermittenda esse in exemplari nostro deprehenduntur institutionis sacrae cœnæ verba: *το υπερ υμων διδομενον· Τυτο ποιειτε εις την εμην αναμνησιν. Ωσαυτως και το ποτηριον, μετα το δειπνησαι, λεγων· Τυτο το ποτηριον, η καινη διαθηκη εν τω αιματι μου, το υπερ υμων εκχυνομενον.* Cum verò virtus etiam in hoste sit laudanda, multo magis laudandus nobis venit Cantabrigiensis Codex, ubi laudem is meretur. Dabo asserti testimonium, quod multorum errorum oblivionem parere aptum est. Quis est inter nos, qui nesciat, Marcum & Johannem, Evangelistas, valde ab invicem dissentire, quando ille capite XV. versu vicesimo quinto pronunciat: *ην δε ωρα τριτη, και εσαυρωσαν αυτον*, hic vero capite decimo nono, commate decimo quarto scribit: *ην δε παρασκευη τε παρακα, ωρα δε ωσει εκτη· Και λεγει τοις Ιουδαιοις· Ιδε ο βασιλευς υμων.* Marcus affirmat, Christum horâ tertiâ crucifixum esse: Johannes perhibet, Sospitatorem optimum horâ demum sexta, ejusdem diei à Pilato Judæis esse præsentatum. Quomodo jam conciliatio facienda est inter utrumque Novi Fœderis Evangelistam, & Spiritus S. qui infallibilis est, amanuensem? Multa, fateor, excogitarunt Viri eruditi ad solvendum hoc dubium chronologicum, quod unum est ex præcipuis, an vero rem acu tetigerint, vehementer ambigo, imo persuasissimum habeo, ferè omnes reti ventos venatos esse. Sunt enim, qui cum (58) VOSSIO conjiciant, librarium in Marco peccasse, qui pro hora sexta posuerit tertiam.

(51) l. c. p. 256.

(53) Opp. Th. T. I. f. 143.

(55) Onom. S. p. 731.

(57) Vide Præfationem CARPZOVII, quam RUMPÆI commentationi ad Libros N. T. præmisit.

(52) ad h. l.

(54) ad h. l.

(56) Cur. Philol. P. I. p. 480.

(58) Harm. Evang. ad h. l.

tertiam. Si (59) HEINSIUM, (60) DEYLINGIUM & (61) HEUPELIUM audias, verba Marci non capienda sunt de tempore, quo Servator cruentas in cruce passiones sentire cœpit, sed de passionum continuatione, ut Græca ita reddantur: erat autem hora tertia, postquam crucifixerant eum. Hoc modo Christus hora diei sexta à Johanne memorata circa meridiem in crucem actus est, dum autem ab hoc tempore per trihorium, quod Marcus commemorat, in cruce pependit, divisæ sunt vestes, aliaque sunt peracta, quæ Marcus cum hoc trihorio immediatè conjungit. (62) CLERICUS huic difficultati medelam allaturus, distinguit inter calculum horarium Judæorum & Romanorum; ad illorum horas respicere Marcum reputans, ad horum horas Johannem. Alii sic se expediunt, ut cum (63) GOODWINO, (64) CHLADENIO, (65) GLASSIO & (66) LAMPPIO in solis subsistant horis judaicis, & ajant, Marcum innuere horam diei majorem, Johannem horam minorem. Taceo alia, quæ magno numero dici possent, imprimis de interpretatione (67) ZELTNERI, cui Marci tertia hora est hora ordinaria diurna, Johannis vero sexta totus processus judicialis cum Christo institutus, & in sextam usque horam continuatus, cum Pilatus Servatorem Judæis præsentem sisteret. Contra has expositiones complura & excipi possunt & excipi debent, at Codex noster Cantabrigiensis perquam scitè & solidè Johannem corrigit ex Marco, ita habens: *ην δε παρασκευη τε παχα, ωρα δε ωση non εκτη*, uti communiter, & malè legitur, sed *τριτη*, qua lectione admissa Marci verba sunt in salvo: *ην δε ωρα τριτη, και εσαυρωσαν αυτον*. Verum enim vero si non nimis, satis tamen de Codice Cantabrigiensi abs me dictum esse reputo. Hinc sine ambagibus meus ad Te, *Reverendissime Domine Cancellarie*, unicè jam dirigitur sermo, quo Tibi nomine Ordinis mei præsentis sisto *viginti septem Magisterii Philosophici Candidatos*. Excoluerunt illi tamdiu Philosophiam tam theoreticam quam practicam, quamdiu inter nos moris est, studio philosophico publicam navare operam. Exhibuerunt iidem ordini meo pro diversitate ingeniorum diversa quoque specimina, omnia tamen ita comparata, ut pro donis animi à divina benignitate ipsis concessis, Deo supplices eapropter referre grates, rationes habeant oppido sufficientissimas.

(59) Exercit. in N. T. ad h. l.

(61) Commentar. in Marcum p. 514.

(63) Vid. Moses & Aaron p. 212.

(66) Comment. in Joh. T. III. p. 583.

(60) Obf. S. L. I. p. 230.

(62) Animadv. in Hammondum T. I. f. 286.

(64) l. c. p. 181.

(65) l. c. p. 2131.

(67) Diff. de horologio Johannis.

tissimas. Accedit, quod per hosce dies examina privata sustinuerint, & præter examen rigorosum ad ipsorum *δοκιμασιαν* haud quidquam expediendum superfit. Hujus vero instituendi copia, cum à Tua, *Reverendissime Domine Cancellarie*, dependeat voluntate, Te Collegii mei & Candidatorum nomine eâ, qua decet, animi reverentia compello, velis pro autoritate ista magnifica, quæ splendido Tuo adhæret muneri, veniam examinis rigoroſi crastino, Deo favente, die habendi perquam benignè nobis largiri, eidemque *Ipse*, si graviora Tua permiserint negotia, benevolus interesse. Ita *Te* Deus amet, *Vir Magnifice*, ita *Te* Deus quem diutissimè conserveſet, ita Deus *Tuis* destinationibus literariis, una cum commendatione nostra obsequiosissimâ devotissimâque plurimum benedicat,

D I X I.



Oratio de Codice Græco-Latino Claromontano, die VII. Novembris A. MDCCXLII. in auditorio juridico habita, cum viginti septem Philosophiæ Magistri crearentur.

P. P.

EXORDIUM.

CUm ante ferias autumnales *Clarissimos Dominos Candidatos nostros Reverendissimo Domino Cancellario* præſentes ſisterem, incidi in argumentum de manuscripto Codice quatuor Evangeliorum & Actuum Apostolicorum Græco-Latino, quem THEODORUS BEZA, Vir de critica sacra novi fœderis longe meritissimus, postquam eum in Gallia invenerat, atque in usus suos satis locupletes adhibuerat, Academia Cantabrigiensi dono dedit. Qui monumenta Galliae literaria eaque anecdota vel leviter habet cognita, non potest non simul aliûs meminisse *Codiciſ Græco-Latini, San-Germanensis* puta, qui in bibliotheca San-Germanensi ordinis Benedictinorum ex congregatione S. Mauri asservatur, & ibidem ornamenti loco jure suo meritoque præcipuo habetur; dignus propterea existimandus, qui in
cogni-

cognitionem Auditorum nostrorum ulteriorem perveniat. Membranis (1) namque purpureis, aureisque descriptus literis in folio minori, seu potius forma quarta eâque grandiori, quatuordecim Pauli Apostoli sistit epistolas canonicas, ita profectò comparatas, ut ipsius lectiones præ aliis multam lucem textui sacro adfundere aptæ sint. Characterum ejus (2) specimen cum orbe erudito communicare nullus dubitavit MABILLONIUS (3), lectorem edocens, accentus, quibus Græca instructa sunt, à prima manu adjunctos esse. Singulæ paginæ duplici columna constant, quarum prior Græcum fontem, altera Latinam Versionem continet, versiculosque à linea inchoatos semper deprehendit lector, unde colligere pronum est, Codicem San-Germanensem (4) *στιχῆως* esse scriptum. Ad septimum circiter seculum hoc exemplar refert MONTFAUCONIUS, (5) in transitu monens, eodem tempore accentus & spiritus libris Græcis adscribi cepisse. Literæ, quibus utraque ejus pars expressa est, ut dextrâ quidem Latina Versio, sinistrâ Græcus fons incedant, sunt unciales, (6) multo etiam majores & pinguiore illis, quas præferunt alii Codices BEZÆ, Cantabrigiensis nimirum & Claromontanus, multum lucis daturæ in assignanda ætate Codicis San-Germanensis. Intelligitis, *Auditores!* ex his, quæ primoribus duntaxat labris de Codice hoc Gallicano degustanda vobis præbui, integro ea suffectura fore sermoni concinnando, si curatius singula percurrere, & eviscerare cuperem ejus memorabilia. Præfaminis tamen loco ista protulisse è re nostra consultum esse duxi, ut fortè alii, in arte Critica me longè peritiores, in enucleando

C

ando

(1) Confer FABRICII Bibliothecam Græcam L. IV. p. 180.

(2) Idem præstitit D. GREGORIUS PLACENTINIUS, Hieromonachus Cryptoferatensis Ordinis S. Basilii Magni in epitome Græcæ Palæographiæ, quæ Romæ prodit 1733. p. 43.

(3) Opere erudito de Re Diplomatica p. 347.

(4) *Στιχῆως* posita dicitur scriptio, in qua singuli versiculi suam lineam inchoant: quam lineam ut plurimum ob brevitatem non excedebant, nec implebant plerumque; aliquando tamen *Στιχῆως* lineas aliquot complectebatur, etsi rarius. Clarius: *Στιχῆως* non integram periodum designabat, sed eam partem, etsi perquam minimam, ubi jam aliquis sensus, licet imperfectus & inchoatus videbatur esse; ita, ut in unica periodo tres, quatuor, imo quinque, sex aut plures *Στιχῆως* sæpè numerentur.

(5) Palæographiæ Græcæ fol. 217.

(6) Characteres unciales rotundi sunt in literis Ε, Θ, Ο, C, Φ, Ω. Quadrati characteres unciales deprehenduntur in Η, Μ, Ν, Π.

ando hoc Codice eximiam suam collocare operam, atque adeo de hac parte Criticæ Sacræ Novi Testamenti indices melius mereri animum inducant. Quod verò jam ad præsens idque principale dicendi argumentum attinet, *manuscriptum Codicem Claromontanum* vestræ attentioni sisto, ut inter hanc & nuperam panegyrim haud injucunda dispalescat harmonia. Nimirum, quemadmodum Codex Cantabrigiensis fuit THEODORI BEZÆ, ita etiam Claromontanus, quo subinde in Annotationibus ad divi Pauli epistolas multo cum fructu usus est; Veluti Cantabrigiensis est Codex Græco-Latinus, ita quoque Claromontanus; ubi desinit Cantabrigiensis, in actibus videlicet Apostolicis, ibi incipit Claromontanus, pertexendo totum systema epistolarum Paulinarum, egregiam librorum Novi Fœderis partem; & cum Claromontanus in Bibliotheca Regis Christianissimi hodiè locum suum obtineat, aliisque adhuc prærogativis præ Codice San-Germansenfi gaudeat, de quibus infra unum alterumque monendi recurret occasio, mirum nemini videri debet, quando illi præ hoc integram hac vice destinaverimus tractationem; probè gnari, Bibliothecam Regiam & in ea Codicem bonæ notæ præferri debere Bibliothecæ Cœnobii S. Germani, cætera in suo genere satis præstanti, etiam quando respectus habetur ad Codices sacros manuscriptos. Ita verò sine ulteriori verborum anfractu in doctrina de *Codice Claromontano* hac vice versabor, ut Vobis, *Auditores Colendissimi!* genuinam ejus ideam suppeditem; *varias dein lites literarias ultro citroque de eo agitatae recenseam; ad extremum meam luculenter exponam.* Attendite mihi, si volupe vobis fuerit, *Auditores Honoratissimi!* & cur non liceret vestram præstolari auscultationem, cum faventissimam attentionem benevola vestra polliceatur præsentia. Attendite, inquam, mihi facturo verba de Codice Claromontano breviter, perspicuè, & quantum per ingenii modulum fieri poterit, solidè.

T R A C T A T I O.

COdex noster, de quo verba facio, nomen suum nactus est à Cœnobio Claromontano apud Bellovacenses, in quo adservatus, in manus laudatissimi BEZÆ venit. Post BEZAM cimelium hoc possederunt Fratres PUTEANI, PETRUS & JACOBUS, qui olim Bibliothecæ Regiæ Præfecti fuere; post quorum ex hac vita discessum ex eorum Bibliotheca, uti suprema eorundem per testamentum disposuerat voluntas, cum pluribus aliis Codicibus

cibus

cibus in Regiam migravit, vocatus etiam propterea *Codex Regius*, postquam in Christianissimi Regis Bibliotheca inter Codices manuscriptorum locum bis millesimum, ducentesimum, quadragesimum quintum sortitus est, quem & quantum constat, adhuc ibidem occupat. Continet hic Codex, tenuissimis & elegantissimis membranis constans in formâ quarta minore Epistolas (7) divi Pauli Græcè & Latinè, mutilatas primo folio, sive epistolæ ad Romanos textus Græci capituli primi versiculis primis sex, cum septimi parte usque ad verba *κλητοις αγιοις*, duobusque insuper foliis epistolæ prioris ad Corinthios, capituli decimi quarti, sive omnibus à versu duodecimo ad versum vigesimum secundum, Latinis etiam extremæ partis epistolæ ad Hebræos, à media parte versus vigesimi primi, capituli decimi tertii ad finem epistolæ, ultimo Codicis folio; cætera tam in fonte, quam in versione satis sunt integra. Circa ordinem epistolarum nihil ferè monendum venit, quam quod epistolam ad Ephesios immediatè excipiat ea, quam Paulus ad Colossenses exaravit, transpositâ tantisper epistola ad Philippenses. Character ejus, teste eruditissimo MONTFAUCONIO (8), omninò quadrus vel rotundus est, secundum cujusque literæ figuram. Græcus character nullam olet peregrinitatem, sed à perita manu exaratus est. Scriptus etiam est Codex per *κωλα* (9) & *κομματα*, ita ut ad singulas vel minimas distinctiones, à linea resumatur. Accentus & Spiritus annotantur; sed ii secunda manu, ut videtur, nec diu, ut creditur, post descriptum Codicem adjecti sunt. Græca (10) ad paginam dextram habet, Latina ad sinistram, hic illic à Græcis diversa, qualia exstabant in Codicibus aliquibus ante tempora Hieronymi. Hinc ex mente nonneminis (11) existimatur fuisse illa Versio, quâ ante recognitionem à Damaso curatam Ecclesia Latina utebatur. Pertinet huc judicium Dn. BENGELII (12), de Claramontano aliisque Græco-Latinis Codicibus latum: "Latinum, inquit, contextum habent inquinatissimum, ac planè talem, qualis erat proximè ante Hieronymum, cujus querelæ de ea re sunt notissimæ, & partim justissimæ. Hinc eos nonnunquam cum Tertulliano, cum Cypria-

C 2

(7) Vide MILLII Proleg. in N. T. §. 1284.

(8) l. c. f. 217.

(9) *Κωλα* sunt membra periodi majora; *Κομματα* particulae sive sectiones periodi perquam minimæ.

(10) Vid. MASTRICHT in Prol. ad N. T. p. 37.

(11) Ita DIONYSIUS AMELOTTE Præf. in Notas ad Evang. S. Matthæi.

(12) N. T. Græco majori p. 641.

Cypriano, persæpè autem cum Hilario Diacono, cum Lucifero Callaritano congruere, & liberioribus talium patrum allegationibus vel corruptelis ludere deprehendas.,, Quod concernit Lectiones variantes, tantum abest, ut à Codice Claromontano exulent, cum ipse infinitum ferè earum numerum collegerim, & circa illas conglomerandas versati sint JO. (13) MILLIUS, RICHARDUS (14) SIMONIUS, JOHANNES (15) MORINUS, JO. HENRICUS (16) MAJUS, Pater, GERHARDUS (17) à MASTRICHT, Fratres (18) PUTEANI, STEPHANUS (19) CURCELLÆUS, JACOBUS (20) UISSERIUS, BRIANUS (21) WALTONUS. Exemplum (22) *transpositionis* insignis deprehendi priori ad Corinthios, capite decimo quarto, commatibus trigesimo quarto & quinto, quæ in Codice Claromontano demum post versum quadragesimum leguntur: πάντα ευφημονως και κατα τάξιν γενεοθω. Specimen (23) *mutationis* inveni Philippensum secundo capite, versu trigesimo, quo pro verbis παραβουλευσαμενος τη ψυχη, Claromontanus habet παραβολευσαμενος τη ψυχη, assensum nactus SALMASII inprimis & GROTHII, qui inter alia auctoritate vetustissimi hujus exemplaris ducti, hanc lectionem adoptarunt. Porro & subinde aliqua (24) *addit* Codex noster, veluti Colossensium III. capite, versiculo undecimo, voces αρσεν και θηλυ præmittit-vocibus Ελλην και Ισδαιος, quas, si à Codice San-Germanensi discesseris, alibi frustra ferè quæsiveris. Tandem etiam nonnulla (25) *omittit*, quemadmodum

(13) N. T. f. 333 - 541.

(14) Hist. Crit. Textus N. T.

(15) Exercit. Bibl. f. 56. sqq.

(16) Repetito examine Hist. Crit. Simonianæ p. 432. sqq.

(17) N. T. Græco p. 334 - 492. Adde Notas Criticas p. 27. sqq.

(18) Vide MILLIUM l. c.

(19) N. T. Græco.

(20) Adde MILLIUM l. c.

(21) T. VI. Bibliothorum Polyglottorum.

(22) Ita Rom. XIV. 9. priora verba Codex noster sic transponit: Εἰς τὸ γὰρ Χριστὸς ἐζήσθη, καὶ ἀπεθάνη, καὶ ἀνέστη.

(23) Mutat Codex Claromontanus lectionem nostram Rom. V. 17. ubi habet: ἐν τῷ ἐνὶ παραπτώματι. Pariter Rom. XII. 13. illud ταῖς χρείαις mutat in μνείαις.

(24) 1. Cor. VII. 14. verbis: ἡγιασθαι γὰρ ὁ ἀνήρ ὁ ἀπίστος ἐν τῇ γυναίκῃ, addit τῇ πίσει.

(25) Rom. I. 16. vox τὸ χριστὸν in Codice nostro omittitur. 1. Cor. IV. 6. verbum φρονεῖν in eodem desideratur. 1. Cor. V. 1. verbum ὀρομαζεται deest; quemadmodum & ultima verba 1. Cor. VI. 20. καὶ ἐν τῷ πνεύματι ὑμῶν, ἀτιναρῶσι ἰδὲ θεῷ in eo haud comparent.

dum Romanorum capite decimo sexto, versus decimi sexti posterior pars: *ασπάζονται υμας αι εκκλησιαι τβ χριστ*, in Claromontano Codice nulli comparet. Atque ita jam distinctam, ut spero, imo totus confido, concipere animo potestis ideam de Codice Claromontano, dignissimo, cui meditationem nostram tantisper impenderemus, atque ea, quæ ab aliis sparsim de illo annotata sunt, in unum colligeremus. Valeat nunc MILLIUS, asserens, (26) Codicem nostrum prostare in forma, quæ dicitur octava. Valeat RUMPÆUS (27), in alterum delapsus extremum, fingens, ex recensu JACOBI LE LONG hunc Codicem exaratum esse in folio; refutandus ex Bibliotheca sacra JACOBI LE LONG, abs se allegata, (28) affirmante, Codicem Claromontanum in quarto minore scriptum esse; quæ observatio mea in gratiam Auditorum ex repetita libri *αυτοψια* promanat. Valeat denuo MILLIUS (29), incautè scribens, Codicem Claromontanum mutilatum esse duntaxat primo folio, quod initium epistolæ ad Romanos exhibet, qui tamen duos adhuc concedit hiatus, unum in priori ad Corinthios, alterum in epistola ad Hebræos, factus ita *αυτοκατακριτος*, & proinde *αναπολογητος*. Valeat JO. CLERICUS (30), Codicem Claromontanum cum Cantabrigiensi malè confundens, & quod pejus est, tantum pro paraphrasi eum reputans. Valeat EDUARDUS (31) STILLINGFLEETUS, propugnans, Claromontanum Codicem, quo usus est BEZA, diversum esse ab illo, qui repositus conspicitur in Bibliotheca Regia Parisiensi, asseclam nactus ex nostris Theologum hodie Wittebergensem (32) HOFMANNUM. Valeat denique (33) DUPINIUS, in Dissertationibus præliminaribus Biblicis Gallicè conscriptis lapsus committens chronologicum, THEODORUM scilicet BEZAM hunc Codicem beneficio Dominorum PUTEANORUM, quorum nomina supra expressimus, accepisse, cum tamen fratres PUTEANI nondum essent nati, quum diu jam ante Codicem hunc laudasset THEODO-

C 3

RUS

(26) l. c.

(27) l. c. p. 269.

(28) l. c. f. 175.

(29) l. c.

(30) Arte Crit. P. III. S. I. C. VIII. p. 88.

(31) Vid. FABRICIUS in Bibl. Græc. L. IV. C. V. p. 180. & ex eo LE LONG in Bibliotheca S. f. 174. qui ambo lectori commendant Stillingfleeti Vindicationem doctrinæ de S. Trinitate.

(32) Conf. Supplementa ad Introductionem Pritii in lectionem N. T. p. 388.

(33) Verba ejus hæc sunt: Theodore de Beze trouve un manuscrit Grec & Latin des quatre Evangiles & des Actes dans le Monastere de S. Irene de Lyon; il eut aussi par le moyen de Messieurs du Puy un autre manuscrit de même nature des Epitres de S. Paul, qu'il appelle l'Exemplaire de Clermont, qui peut passer pour la seconde partie de l'Exemplaire de Lyon,

RUS BEZA, eundemque utiliter adhibuisset in doctissimis Notis ad epistolas Pauli concinnatis, & quam vellem, ut eundem anachronismum ex nostratibus haud commisisset (34) PRITIUS. Sed pergendum esse, necessarium nunc duco *ad enarrandas lites literarias*, quas Claromontanus Codex successu temporis excitavit. Princeps quaestio huc redit: *an Claromontanus Codex altera pars sit Codicis Cantabrigiensis, vel secus?* In affirmativam concedunt (35) BEZA ipse, (36) SIMONIUS, (37) DUPINIUS, (38) MAJUS, (39) PRITIUS, (40) FABRICIUS, sed ita concedunt, ut assertionem suam nudè proponant, nullis rationibus stabilitam. Si ab horum partibus starem egomet, plura pro sententia affirmante urgerem, quæ propria utriusque Codicis mihi subministravit investigatio. Scilicet Codex Claromontanus æquè est Græco-Latinus ac Cantabrigiensis; ambo eandem ferè ferunt ætatem; sunt membranacei; iisdem exarati characteribus; carent accentibus; *σικηρωσ* sunt scripti; ad versionem veterem Italicam sæpius sunt mutati; utrumque idem Criticus ad unum scopum adhibuit; quo unus desinit, alter in enarrandis libris N. T. pergit. At negativam & quidem rectius amplectitur (41) JACOBUS LE LONG, ipse Bibliothecarius Parisiensis, hac in arte peritissimus Vir. Nam in Codice Claromontano plures sunt lineæ in unaquaque pagina, & plures voces in unaquaque linea, quam in Codice Cantabrigiensis. Accedit, (42) Codicem Cantabrigiensis aliam planè foliorum formam habere, quam Regium nostrum, & characteres Cantabrigiensis paulò majorem vetustatem spirare, quam literas Claromontani. Porro & id, tenui meo iudicio, in hanc considerationem venire debet, quod ipsi dissentientes fateantur, textum Codicis nostri longè puriorem & recepto nostro congruentiorem esse, quam Codicis Cantabrigiensis textum; quod ipsum eo fortius stringit, quia SIMONIUS concedit, utrumque Codicem eadem manu exaratum haud esse. Taceo celeberrimum in hoc literarum genere MONTFAUCONIUM, eo loco, (43) quo Codicem nostrum Regium describit, & characterum ejus specimen æri nitidissime incisum exhibet, lectorem quidem instruere de Codice San-Germanensi, qui cum nostro magnam habet affinitatem,

(34) l. c. p. 384.

(35) Vide ejus Annotationes in Epistolas Pauli passim.

(36) l. c. C. XXXII.

(37) Verbis modo excitatis.

(38) l. c.

(39) l. c. p. 385.

(40) l. c.

(41) Biblioth. S. T. I. f. 174.

(42) Vide Excell. Dn. D. MAICHELII Introd. ad historiam literariam de præcipuis Bibliothecis Parisiensibus, Edit. Lips. p. 23.

(43) Palæog. Græc. fol. 217. sq.

tem, sed altissimo silentio Codicem Cantabrigiensem præterire, quod fecisse tantus Vir præsumendus non est, si Codicem nostrum Regium pro altera parte Codicis Cantabrigiensis reputasset. Alia quæstio concernit *ætatem* Codicis Claromontani, in qua determinanda viros ab invicem iterum dissentire video longè doctissimos. Sunt, qui cum MILLIO afferant, (44) eum ætatem ipsius Hieronymi præcedere; quo spectant, quæ JO. MORINUS (45), Presbyter Parisiensis, ex Calviniano factus Romano-Catholicus scripsit: "Consideratis, inquit, figura, magnitudine & splendore characteris, tam Græci quam Latini, illius ob vetustatem per se ipsum multis in locis dimidiatâ obliteratione, passimque sub obscura delineatione, Versionis insuper cum Vulgata textuque Patrum comparatione, Sancti Hieronymi ætatem istius Codicis scriptio videtur omninò præcedere., Ad septimum circiter seculum Palæographiæ Græcæ peritissimus Vir, BERNHARDUS MONTFAUCONIUS Codicem Claromontanum refert, fundamentum affirmationis suæ repetens à qualitate literarum tam Græcarum, quam Latinarum in Codice Regio obviarum, quæ cum characteribus tam Græcis quam Latinis septimo seculo usitatis perquam egregiè convenient. RICHARDUS SIMONIUS eum paulo recentiore facit, autumans, Codicem nostrum ætatem mille annorum non superare, à cuius opinione ex nostris B. PRITIUM non alienum esse memini. Præterea ventilatur quæstio de *Librario* nostri Codicis, fueritne *Latinus an Græcus*? Latinus fuisse statuitur à SIMONIO, DUPINIO, MILLIO, eruditè monentibus, Codicem Claromontanum æque ac Cantabrigiensem in Occidente literis exaratum esse multò rotundioribus & pinguioribus illis, quas librarii in Oriente soliti fuerint pingere. Adde, quod in interjecta post epistolam ad Philemonem, utriusque Testamenti Librorum Stichometria, determinetur in hoc Codice Epistola ad Hebræos à reliquis Scripturis, de cuius auctoritate cañonica aliquandiu subdubitaverunt veteres; ut non commemorem, mendas in Textu Græco Claromontani Codicis frequentiores esse quam in Latino. Secessum tamen ab hisce literati orbis luminibus & columinibus facit literatissimus MONTFAUCONIUS, sufficientissima Codicis hujus cognitione instructissimus, affirmans: "characterem Græcum nullam olere peregrinitatem, sed à perita manu exaratum esse., Porro sub censum venit *Versio Latina* fonti

(44) N. T. Græco f. 446.

(45) Exercit. Bibl. f. 55.

fonti Græco in Codice Claromontano ad latus posita, quæ ex communi eâque verissimâ sententia sibi valde est dissimilis. Mox ea cum fonte conspirat, eundemque aptè exprimit; mox ab eo discedit; mox cum Vulgata facit; mox è diametro eidem est adversa. Quo magis dolendum esse MORINI excessum arbitror, qui Latinum Vulgatæ Versionis textum præferendum esse avthenticæ Græcæ veritati statuens, fingit, Claromontanum Codicem ad Vulgatam esse correctum, eamque lectionem genuinam esse, ad nauseam usque vociferatur. Ita & quæri videas, *num Codex Claromontanus fuerit typus, ad quem Codex San-Germanensis, quem in Exordio laudavi, exaratus sit, nec ne?* Video communiter Viros doctos una fidelia duos dealbare velle parietes, quando San-Germanensem Codicem pro apographo Claromontani Codicis agnoscunt, & vel utrumque promiscuè pro alleganda unica duntaxat lectione citant, vel unius saltem expressam mentionem faciunt, consensum alterius, quasi re optimè gesta, subintelligentes. Mihi ob præsentis instituti brevitatem prolixiori esse haud licet, unde vel id unicum adhuc observandum venit, mirum non esse, quod durantibus hisce litibus diversissimæ de Codice Claromontano eruditorum prodierint cogitationes. Si BENTLEJUM (46) audias atque KUSTERUM (47), imò ante hos ipsum BEZAM, Claromontanus Codex est emendatissimus; si alios, aliam eos inflare tibiam ultrò deprehendas, ut hæsites aliquandiu, cuinam parti calculum adjicere justum sit. Ita enim Dn. (48) BENGELIUS de Codicibus Græco-Latinis, inter quos Claromontani expressè meminit, commentatur: “Cum omnibus colludunt, ab omnibus, & à se ipsis aberrant maximè, configendi propterea Codices Græco-Latini, reverabilingues. Namque ita ultra omnem modum luxuriant, ut non tam pro Codicibus haberi debeant, quam pro rhapsodiis, exhibentibus collectas de industria & in unum contextas varias lectiones, & Codicum & Patrum, & Græcorum & Latinorum, vel etiam apertas corruptelas utrisque obtrusas; cum multis parallelismis, paraphrasibus, synonymis Græcis facilioribus, animi causa, vel in gratiam lectoris, Græcarum literarum minus periti, injectis.” Verum enim vero, cum magis consultum sit, suis res intueri oculis, quam aliorum, judiciis alienis non immorabor, sed *meam, eamque ab omni partium studio liberam* *κατα τοὺς* *de* *Codice*

(46) Vide ejus Epistolam ad MILLIUM exaratam, ex qua plenissima excerpta dedit Dn. Canc. PFAFFIUS l. c. p. 106. sq.

(47) Præf. ad MILLIUM N. T. pag. penult.

(48) N. T. Græco maj. p. 386.

Codice Claromontano exponere satagam. Distinctissimum eum Codicem esse à Cantabrigiensi, ea mihi persuadent, quæ supra attuli argumenta, jam non repetenda. Multa heic unico verbo pronuncio, *Auditores!* levi haud quaquam tractanda brachio. Quod si enim Codex Claromontanus pars esset Cantabrigiensis altera, in quo librarius grassatus fuit pro arbitrio, addendo, tollendo, mutando, uti ejus ferebat animus, quid quæso præclari expectandum foret à Codice nostro, cujus lectiones sensum Apostoli everterent potius, quam adstruerent? In excutienda ejus *vetustate* multus non ero, quippe quæ ex iis, quæ jam commemoravi, facile dispalescit. MORINI excessum detestor, qui Hieronymo anteriorem hunc Codicem facit; SIMONII defectum improbo, asserentis, exemplar nostrum mille annorum tempus haud superare; media via, quæ regia est, mihi arridet, & quam MONTFAUCONIUM quoque calcasse, exploratum habeo. MORINUM scilicet refutat epistola ad Ebræos, quæ in Codice nostro legitur, nullatenus ibi extitura, si ante Hieronymum exaratus esset Codex, de quo loquimur, eo quod adhuc post Hieronymum haud parum effluxit temporis, quo dubia ea fuit atque suspecta, in numero epistolarum canonicarum nullibi comparens; SIMONIUM verò urget absentia accentuum, & summa characterum Claromontani Codicis harmonia cum aliis indubitatis sexti & septimi seculi documentis, quam negare, vel ignorantiam prodit Palæographiæ Græcæ, vitium intellectus flebile, vel simpliciter eam agnoscere nolle, depravationem voluntatis sole meridiano clariorem dixeris. De *Librario* Claromontani Codicis mea mens paucis huc redit, ut contendam, eum fuisse Latinum, neutiquam Græcum. Patet hæc veritas ex characteribus ejus, qui diversi generis sunt ab iis, quos Græci pingere solebant. Accedit ipsum institutum Codicum Græco-Latinorum, qualis est noster Claromontanus, qui, ut nuper in simili casu pronunciaui, usui Græcis esse non poterant, (quid enim ipsis cum *Versione Latina?*) sed in Occidentalium gratiam confecti sunt, ut textu Græco è regione Latini posito, haberent jam, quibus facultatis aliquid in Græcis esset, unde sacrum Codicem melius intelligerent, & Latinam *Versionem* multoties errantem ad Græcum fontem emendarent. Esto præterea, fontem Claromontani Codicis Græcum haud olere peregrinitatem, & à perita manu exaratum esse, exinde tamen nondum consequitur, librarium fuisse Græcum, sed Latinos majorem indies in literis Græcis sibi comparasse notitiam, & insignem in describendis Codicibus Græcis collocasse operam, temporis illius clamat historia. Quod Codicis

D

cis

cis nostri *Latinam* concernit *Versionem*, quæ sibi non constat, ea diu me non detinet, eo quod de fonte Græco ex officii ratione potissimum sollicitus sum, non de fontis translatione in hanc vel illam linguam; illud tamen de MORINO silentio præterire nequeo, hunc apostatam causæ Protestantium nocere quidem voluisse, sed non potuisse. Aliquot, fateor, foliis, quæ perlustravi, consensum Versionis Latinæ Claromontanæ cum Vulgata ostendit, sed totidem, imo plura loca, quæ à Vulgata dissentiunt, reticens, fallaciam commisit divisionis, homine ingenuo indignissimam, præoccupatus à recepta hypothese longè falsissima, consequentias proinde necens erroneas, à sincero quovis veritatis cultore cane pejus & angue evitandas. Pariter ab omni prolixitate abstinebo circa quæstionem de Codice San-Germanensi Codicis Claromontani *apographo vel non apographo*. Parallelismum utriusque insignem haud inficior, at ex eo Codicem utrumque pro uno adhibere, vel asylum pigritiæ criticæ censendum esse existimo, vel studium confundendi Codices prodit, utrumque cum cura fugiendum. Mea sententia, quam nemini obtrudo, Codex San-Germanensis pro apographo Claromontani propriè sic dicto haberi nescit, eo quod lectiones sistit in Græco fonte à lectionibus Claromontani plurimum diversas, quas vel ex solo MILLIO, parvo labore adhibito, perdiscere possis, qui eapropter de San-Germanensi Codice ait: "Consentit ferè cum Græco Claromontani; verum ita, ut indiciis satis multis se prodat è diverso aliquo Codice prodiisse." Non urgebo, (49) Codicem nostrum accentibus ab initio caruisse, San-Germanensi à prima manu accentus esse additos; non allegabo, formam literarum Claromontani Codicis ferè cum priscâ illâ consentire, qualis in marmoribus observatur, quæ primis Imperii Romani seculis posita sunt, cum characteres in San-Germanensi, grandiores quippe & verè majestatici, ab ista forma deflectant, atque ita tantisper variant, licet eandem ferè figuram referant. Quæ hæctenus de Claromontano Codice ingenuè professus sum, scitu sunt necessaria, eadem usu multiplici se insinuant, nec sua destituuntur jucunditate; præcipuum tamen meâ opinione momentum situm est in examine lectionum, quas Codex Claromontanus præfert. Has ego, nemine præeunte, in tres dispesco classes, ita ut earum prima sistat *lectiones malas*, secunda *bonas*, tertia *indifferentes*, tales puta, quæ salvâ analogia fidei tam scripturaria quam systematica possunt admitti. Quod
ad

(49) Conferatur MONTFAUCONII Palæogr. Græc. f. 218, & R. SIMONII Dissertation Critique sur les MSS. du Nouveau Testament p. 65.

ad lectiones (50) malas attinet, Codex noster excusari nequit, quando priori ad Corinthios, undecimo capite, versu vigesimo quarto, in verbis institutionis sacrae coenae, officia communicantium verbis λαβετε, φαγετε, expressa, cum ipso, quod mireris, Alexandrino Codice, pessimè omittit; in commatibus vigesimo sexto & septimo ejusdem capitis, ejusdemque doctrinae, cum eodem Codice pronomem demonstrativum τῆτον & τῆτο, in masculino & neutro generibus, quasi re benè sic gesta, negligens. Pejor adhuc lectio est, quae priori ad Timotheum capite tertio, commate decimo sexto, in Codice (51) Claromontano deprehenditur, quippe quae à nostra: θεος εφανερωθη εν σαρκι mirum quantum recedit, vocem θεος omittendo, loco ejus articulum postpositivum ο ponendo, eundemque ad praecedens μεγα μυστηριον referendo, ut illud dicatur manifestatum in carne, justificatum in spiritu, apparuisse angelis, assumtum in gloria; Quo magis dolendum, lectione hac aetate nostra abusum esse famosissimum (52) ARTEMONIUM, ut dogma de divinitate Christi everteret. Illud vero laudem meretur, quod ipse CLERICUS hanc Claromontani Codicis lectionem ad (53) mendas falsariorum retulerit. Sed & egregias (54) nobis subministrat lectiones Codex Claromontanus, ex quarum numero unam duntaxat adferemus vel alteram. Romanorum decimo quarto capite, commate decimo, post verba: κρινεις τον αδελφον σε, Claromontanus rectè ponit: εν τω μη εδωκην, eo quod Apostolus egerat de officio erga infirmos in rebus adiaphoris, quorsum referenda erat abstinentia à quibusdam cibis. Posteriori ad Corinthios capite quinto, versu tertio, communiter legimus: ει γε και ενδυσαμενοι, & γυμνοι ευρεθησομεθα, at Claromontanus (55) rectius habet εκδυσαμενοι, & γυμνοι ευρεθησομεθα, hoc sensu prorsus excellenti: Quanquam si exuti sumus,

D 2

mus,

- (50) Sic Gal. II. 5. voces οἱς εἶδε pessimè omittit Codex noster, eo quod stante hac lectione sensus mutilus statuitur. Pariter & violentam lectionem dixeris, quando Eph. IV. 19. Codex Claromontanus habet ἀπηλπικότες pro ἀπηληγότες.
- (51) Conf. Dn. Canc. PFAFFII Primit. Tubing. P. I. p. 60. Ejusd. Orat. de magno pietatis mysterio p. 15. nec non WOLFFII Curas Philol. & Crit. P. III. p. 451. sq.
- (52) Initio Evang. S. Johannis &c. Praef. p. XXVII.
- (53) I. c. P. III. S. I. C. XV. p. 235. sq.
- (54) Ita Rom. I. 26. verbis: εις την παραφυσιν Codex noster ad evitandam ellipsin rectè addit χησιν. Eodem fine Rom. X. 8. verbo λεγει jungit Claromontanus vocem η γραφη. Rom. XI. 1. voces: λαον αυτη hoc additamento illustrat: ον προσεγνω.
- (55) Vide MILLIUM in N. T. f. 410. dissentiente WOLFIO Cur. Philol. & Crit. P. II. p. 604.

mus, Deoque ita visum fuerit, ut corpore hoc exspoliemur permortem, gloriosa nihilominus futura est conditio nostra; non nudi reperiemur, habituri nempe *οικοδομην εκ Θεου, οικίαν αχειροποίητον, αιωνιον εν τοις ουρανοις*, ædificationem à Deo, domicilium non manu factum, æternum in cœlis. Ita & Ephesiorum quinto capite, versu nono, plerique Codices habent: *ο γαρ καρπος τῆ πνευματος εν παση αγαθησυνη και δικαιοσυνη και αληθεια*, sed Claromontanus pro voce *πνευματος* optime ponit *φωτος*, eo quod *συναφεια* textus lucis vocabulum potius quam spiritus postulat. Scripserat enim immediatè ante hæc verba Apostolus: *ητε γαρ ποτε σκοτος, νυν δε φως εν Κυριω ως τεκνα φωτος περιπατετε*. Taceo sequentia ab Apostolo addita, quibus hanc de luce allegoriam abs se adhibitam pluribus profequitur. Tandem verò & lectiones in Codice Claromontano invenias indifferentes, quæ à nostra eademque recepta lectione vocibus quidem abludunt, in re ipsa tamen amicissimè cum illâ conspirant, ac proinde unum sensum fundunt. Sic Romanorum primo capite, commate trigésimo, inter alios peccatores Claromontanus exhibet *κακολαλεις*, quos alibi deprehendas vocatos esse *καταλαλεις*. Eiusdem Epistolæ, capite quarto, versu sexto, ut plurimum legitur: *καθως και ο Δαβιδ λεγει*, noster Codex habet: *καθως και ο Δαβιδ λεγει*. In sequenti capite octavo, commate trigésimo septimo, voces ubique ferè invenias: *δια τῆ αγαπησαντος ημας*, quæ in Claromontano habent: *δια τον αγαπησαντα ημας*. Intelligitis ex hisce speciminibus, *Auditores Honoratissimi!* Codicem Claromontanum ita esse comparatum, ut eo facilè quis ad incrustandos errores, eosque satis graves, facilè abuti possit, quem proinde nonnisi adhibitâ seriâ providentiâ in usus convertendum esse arbitror. Cognoscitis porrò, Codicis Claromontani lectiones esse præstantissimas, numero etiam multo plures, illis, queis hallucinatus est librarius. Ad extremum perspicitis, Codicem nostrum ejusmodi exhibere lectiones, quæ eundem sensum gignant cum receptis, quas vel facere missas, vel retinere, cuiuslibet liberum ac integrum manere debet. Et hæc de Codice Claromontano satis, ut puto, dicta sunt.

Progredior itaque ad palmarium, quod expediendum superest, negotium. Sisto nimirum conspectui vestro, *Auditores omnium Ordinum Honoratissimi!* meritissimos *Laureæ secundæ Candidatos*, qui egregiis suis speciminibus eam sibi conciliarunt existimationem, ut ipsis ex decreto Collegii mei *Summi in Philosophia honores* opera mea jam sint conferendi. Hujus vero negotii licentia cum altioris auctoritatis res sit, ad Te meus dirigitur sermo

Magni-

Magnifice Univerſitatis Domine Cancellarie, Vir Reverendiſſime, Excellentiſſime, Doctiſſime, Domine CHRISTOPHORE MATTHÆE PFAFFI, Sacrarum Literarum Doctor & Controverſiarum Profeſſor per complures annos Famigeratiſſime, Sacri Cæſarei Palatii Comes Splendidiſſime, Sereniſſimi Wirtembergiæ Principis Conſiliarie Graviffime, Tubingenſis Eccleſiæ Præpoſite Vigilantiſſime, Monafterii Laureacenſis Abbas Digniſſime, Ordinis noſtri & Candidatorum Patrone multis nominibus Colendiſſime,

ad Te, inquam, meus dirigitur ſermo, velis pro authoritate, qua fungeris publica, ab Imperatoribus conceſſa & confirmata, mihi Ordinis mei Pro-Decano veniam largiri, Magiſterii Candidatis, quorum nomina in programmate mox distribuendo leguntur, ſummos in Philoſophia honores, & quæ illis annexa ſunt jura atque privilegia publicè ſolemniterque conferendi. Obſtringes nos novo hoc patrocini Tui documento ad gratias devotiſſimas, ad cultum Nominis Tui perennem, ad obſequia per omnem vitæ noſtræ decurſum continuanda, nunquam finienda.

* * *

Obtenta ampliſſima abs Te, Reverendiſſime Domine Cancellarie, licentia, Præſtantiſſimis Dominis Candidatis noſtris lauream Philoſophiæ ſecundam conferendi, publicas Tibi pro iterato hoc patrocinio, Collegio meo & Candidatis præſtito, ago referoque gratias, Deumque veneror ſupplex, ut Te, Vir Magnifice, Eccleſiæ Evangelicæ, Reipublicæ literariæ, Patriæ, huic Academia, ſplendidiſſimæ Tuæ Genti, noſtro Ordini, atque clientibus Tuis ſoſpitem conſervare velit incolumemque quam diutiſſimè.

Proximum nunc eſt, ut Præſtantiſſimi Domini Candidati ad illa capita jurata fide ſuam adſtringant conſcientiam, quæ ipsis priſco more prælegentur ab Excellentiſſimo Domino Profeſſore & Secretario SCHMALCALDERO.

* * *

Quod itaque Supremo in Cœlis Numini ſacrum, quod Eccleſiæ inprimis Wirtembergicæ utile, quod orbi literato proficuum, quod Eberhardinæ huic honorificum, quod Ordini Philoſophorum gratum acceptumque, quod Dominis Candidatis ſalutare ſit!

Ego JOHANNES ADAMUS OSIANDER, Philoſophiæ Magiſter, Græcæ Linguae Profeſſor Publicus Ordinarius, & per unanimia Collegii mei vota ad hunc Actum conſtitutus Promotor,

D 3

Te

Te Christianum Henricum Georgii, Tubingensem,

1. *Te Eberhardum Fridericum Hellwag, Tubingensem,*
2. *Te Johannem Georgium Busch, Pleidelsheimensem,*
3. *Te Johannem Fridericum Baumann, Kircho-Teccensem,*
4. *Te Johannem Carolum Seiferheld, Westheimensem,*
5. *Te Johannem Ehemann, Gæppingensem,*
6. *Te Johannem Ludovicum Hartmann, Neoburgensem,*
7. *Te Johannem Ernestum Fridericum Bernhard, Hornbergensem,*
8. *Te Johannem Davidem Schramm, Sondelfingensem,*
9. *Te Fridericum Bernhardum Isenflamm, Neoburgensem,*
10. *Te Johannem Georgium Schütz, Leonbergensem,*
11. *Te Fridericum Christianum Gœz, Assumstadiensem,*
12. *Te Johannem Naft, Leonbergensem,*
13. *Te Henricum Christophorum Fridericum Beck, Stuttgardianum,*
14. *Te Amandum Dietericum Seefried, Nellingensem,*
15. *Te Philippum Jacobum Mauch, Uracensem,*
16. *Te Georgium Fridericum Liesching, Burgstallensem,*
17. *Te Philippum Fridericum Binder, Urbacensem,*
18. *Te Ferdinandum Sigismundum Castenbauer, Stuttgardianum,*
19. *Te Johannem Theophilum Lindenmajer, Tubingensem,*
20. *Te Johannem Michaelem Kraus, Pflugfeldensem,*
21. *Te Johannem Laurentium Schmidlin, Münchingensem,*
22. *Te Carolum Fridericum Süskind, Brackenheimensem,*
23. *Te Johannem Eberhardum Sautter, Tubingensem,*
24. *Te Johannem Fridericum Rœßlin, Stuttgardianum,*
25. *Te Jacobum Danielelem Moser, Endingensem,*
26. *Te Johannem Kaufsler, Bietigheimensem,*

Vos omnes & singulos *Philosophia Magistros* creo, creatos proclamo, proclamatos ab omnibus ita in posterum salutari jubeo, præcipio, mando, Vobisque omnia Doctorum *Philosophia* privilegia confero, pro eâ, quæ mihi Promotori concessa est, auctoritate, in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, Amen!

Salvete jam, *Venerabiles atque Clarissimi Domini Magistri!* Primus ego publicè honores in *Philosophia* summos ex merito Vobis collatos ex animo gratulor, Deumque precor propitium Vobis, nunc & in sempiterna secula. Quod superest, ipsi etiam *illustri hinc Auditorio* ingenii Vestri commonstrate culturam, recitaturi problema literarium, Vestrae elaborationi haud ita pridem commissum, ac præmissa *Præclarissimi Domini Magistri* Repetentis decisione, persolvite gratias, quibus eæ persolvi debent, toti huic panegyri pulcerrimum ita imposituri finem.

D I X I !

